



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 2. Vtrum omnis sacerdos sit minister huius sacramenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

esse illi denegandam communionem: numerantur autem specialiter Sacerdos, & Diaconus, quia à Sacerdote potest & absolui, & communicari: Diaconus vero quavis non possit illum absolui, potest tamen in illo articulo, & deficiente sacerdote, Eucharistia sacramentum ministrare illi, dummodo alius se sufficienter dispositum ostendat. Et hoc significatum est per illa verba, Si Diacono confessus fuerit.

Hinc vero colligit Glossa ibi, in extrema necessitate, deficiente sacerdote, confessionem esse inferiori etiam laico faciendam. Et Panormitanus addit ibi, & posse, & debere. Quem modum loquendi imitati sunt Theologi supra citati. Sed certum est talem confessionem non esse faciendam esse iudex. Unde est certum non esse necessariam necessitate sacramenti, seu salutis: cum ad sacramentum conficiendum, vel ad gratiam obtinendam nihil conferat. Ex quo etiam aperte sequitur, non esse necessariam necessitate præcepti, per se loquendo: quia hoc præceptum coniunctum est cum potestate clauui, estque idem cum præcepto recipiendi hoc sacramentum: illa autem confessio neque in potestate clauui fundatur, neque ad sacramentum conficiendum ordinari potest, cum non sit accusatio coram legitimo iudice: nullo ergo modo necessaria est. Aduertit autem oportet in Concilio Constantiensi, in Bulla Martini quinti, in qua condemnantur errores Iohannis Vuidleph, & Iohannis Hulf, inter alias interrogaciones, quæ ibi proponuntur pro his, qui sunt suspecti de illa hæresi, vnam esse. *Vtrum credant, quod Christianus ultra contritionem cordis, habita copia Sacerdotis idonei, soli Sacerdoti de necessitate salutis confiteri teneatur, & non laico, seu laicis quantumcunque bonis & deuotis.* Vbi cum additur, *habita copia Sacerdotis idonei, videtur indicari, in absentia eius esse necessarium confiteri laico.* Sed hoc argumentum à contrario sensu nullius est momenti, in materia præsertim doctrinali, ibi ergo solum proponitur interrogatio de eo, quod ad fidem pertinet: aliud verò quod spectat ad Theologicam quæstionem, proponendum non fuit, nec propterea aliquid circa id definitur, aut insinuat.

Certum ergo est, confessionem laico faciendam, nec sacramentalem, nec necessariam esse. Imo addit Scotus d. 14 quæstione quarta, neque consulendam esse talem confessionem, quia homo se infamat sine causa. Et dist. 17. articulo tertio, dicit regulariter non esse vtilem, ac denique dubitat, an laici sit. Idemque fere sentit Soto distincti. decima octaua, quæstione quarta, articulo primo. Contrarium vero sentit Alexand. Alenfis, quarta parte, quæst. 78. membro primo, articulo primo, quem sequuntur Bonauentura & Paludanus distincti. decima septima, & sumitur ex Augustino de vera & falsa penitentia, capitulo decimo. Sed neutrum censeo posse simpliciter affirmari, sed considerandas esse circumstantias rerum, & personarum. Nam si persona indigeat consilio, & auxilio, & alia sit prudens, à quo possit vtilitas & secretum sine alio graui detrimento sperari, optimum erit hoc medio vti. nam illa qualiscunque infamia maiori spirituali vtilitate compensatur & in reliquo, homo potest cedere iuri suo. Si autem illæ circumstantiæ non concurrant, melius erit soli Deo confiteri, vt recte Nauarrus in capitulo primo de Penitent. d. 6. num. 72.

SECTIO II.

Vtrum omnis sacerdos, vel solus ille, qui potestatem habet iurisdictionis, possit esse minister huius sacramenti.

DE Potestate ordinis supra Corpus Christi mysticum, & de potestate iurisdictionis dixi nonnulla supra, secunda parte huius materiz, disp. 16. sect. 1. quæ hic repetenda non sunt, sed supponenda. Præsertim oportet, vt in significatione nominum conueniamus, ne forte de nominibus, aut in ambiguo laboremus. Quidam enim ipsam potestatem ordinis in corpus Christi mysticum, iurisdictionem appellant, vt Abulensis in suo Defensorio part. 2. c. 62. & nonnulli alii, vt ibi vidimus: quia illa reuera est potestas iudiciaria ad ligandum, & soluendum in hoc foro: omnis autem potestas iudiciaria videtur esse iurisdictionis, quia est potestas ad dicendum ius. Ego verò hanc appello potestatem ordinis cum communi modo loquendi antiquorum Theologorum, imò & Conciliorum, quia per ipsam consecrationem & ordinationem sacerdotis datur, & immutabilis, ac indelibilis est: & præter illam datur, propria potestas iurisdictionis, per quam vnus alteri subditur in hoc foro, quod non fit per solam potestatem ordinis, vt ex dictis in citato loco constat.

Supposita ergo significatione nominum, hæretici sicut non agnoscunt hoc sacramentum esse verum iudicium, ita etiam totum hoc genus iurisdictionis contemnunt. Veruntamen eos omittamus: nam eorum fundamentum satis impugnatum est, & iurisdictionis in hoc foro satis est in superioribus demonstrata, & ex dicendis etiam constabit. Inter Catholicos autem quidem dixerunt, omnes sacerdotes ex vi suæ ordinationis, & diuini iuris esse sufficientes ministros huius sacramenti, ita vt, quavis possit Ecclesia prohibere aliquibus sacerdotibus ne hoc sacramentum ministrent, non tamen possint efficere, quin eorum absolutio sit valida, quantum est ex parte illorum, si ex parte penitentis omnia necessaria concurrant. Quod ideo dicitur, quia in hoc sacramento, ex defectu dispositionis penitentis fieri potest, vt sit inualidum, vt supra dictum est: & ideo si penitens scienter confiteatur sacerdoti ab Ecclesia prohibito, grauius peccat, & indispositus accedit, & ex hac parte nullum fit sacramentum: si autem accederet bona fide, vt cum debita dispositione, sacramentum esset validum. Hanc sententiam tenuit Armatus lib. 11. de Quæstionibus Armenorum à principio, per nonnulla capita. In quam etiam inclinat Almain. in quarta distinctione decima octaua, quæstione vnica, neque improbabilem reputat Durandus distinctione decima nona, quæst. 2.

Fundamentum præcipuum sumitur ex verbis institutionis, *accipite Spiritum sanctum.* Nam ex vi illorum constituti sunt ministri sufficientes huius sacramenti, quos non potest Ecclesia mutare, neque eorum actum irritare, magis quam in aliis sacramentis. Præter hoc autem adduntur coniecturæ simplices ex aliquibus, in quibus potestas ad conficiendum hoc sacramentum ita est communis omnibus sacerdotibus, vt non possit per Ecclesiam auferri, vt in articulo mortis, & circa peccata venialia. Solet etiam argumentum sumi ex confessionibus Pontificis, vel Episcoporum. Sed de his casibus dicemus infra in propriis locis, parum enim ad præsentem faciunt. Principale autem fundamentum supra solutum est, cum de potestate remittendi peccata disputaremus, vbi late ostendimus ipsum falsum esse, & sententiam hanc iam hoc tempore esse erroneam.

Alii tandem distinctione vsi sunt, vt refert Medina Cord. de Confess. quæstione de Confessione, non necessitate, sed voluntate facta. Nam in confessione voluntaria, quæ non est ex præcepto, dixerunt, quemlibet sacerdotem, etiam si iurisdictionem non habeat, posse esse ministrum, in ea verò confessione, quæ fit ex necessitate præcepti aiebant, non quemlibet sacerdotem, sed illum tantum, qui iurisdictionem habet, posse esse ministrum, ac si hæc necessitas

11 Panorm.

Con. Cõl.

12 Scotus.

Soto.

Alenf. Bonau. Palud. August.

Nauarr.

Abulen.

Potestas ordinis.

Error hæreticorum.

Quæstio. Prima (secundum) sententia.

Armat.

Almain. Durand.

Secunda sententia.

orta

orta sit ex cap. Omnis vtriusque, sexus, praeicipiente confessionem annuam fieri proprio sacerdoti. Hae vero sententia non est minus falsa, quam praecedens: quia necessitas iurisdictionis in ministro huius sacramenti non est ex praecipio Ecclesiae, sed ex intrinseca ratione, & institutione huius sacramenti per modum iudicii, ut mox explicabimus. Item, quia alias, quamvis in confessione ex praecipio esset necessaria iurisdicatio, ut licite ministraretur sacramentum, non tamen esset per se necessaria ad valorem eius, quia solum praecipium Ecclesiae ad hoc non sufficit. Tandem confessio de peccatis mortalibus (de qua tempore agimus) licet interdum fiat voluntarie quoad temporis circumstantiam; tamen per illam semper impletur praecipium divinum confessionis quoad substantiam eius: praecipium autem divinum obligat ad confitendum omnia peccata Ecclesiasticis iudicibus & pastoribus, a qua obligatione homo liber manet per illam confessionem voluntariam: ergo idem minister in ea requiritur, quando est de mortalibus prius non confessis: nam si sit de venialibus, seu materia non necessaria, haec ratio non ita vrget. Prior tamen etiam de illa procedit, ut latius inferius dicemus.

Questionis resolutio.

Dicendum ergo est, per se loquendo non omnes Ecclesiae sacerdotes esse sufficientes ministros ad conficiendum valide hoc sacramentum circa materiam necessariam eius, idque non tantum per accidens ob dispositionem poenitentis, sed per se ob defectum alicuius rei necessariae ex parte ipsius ministri. Haec assertio est communis Theologorum, D. Thomae in 4. dist. 17. quaest. 3. articulo 3. quaestio 4. & d. 19. quaest. 1. articulo 3. quaest. 1. Paludan. d. 17. quaest. 3. articulo 1. & d. 19. q. 3. art. 3. vbi etiam Capreolus, Gabr. Sotus, & Maior quaest. 1. Bonaventura art. 2. quaest. 2. Richard. articulo 1. quaest. 3. Soto. d. 18. quaest. 4. articulo 2. & d. 20. quaest. 1. art. 5. Ledesma 2. part. 4. quaest. 32. articulo 1. Cano. dicit. Relatio. de Poeni. part. 5. Petrus Soto lectio. 5. de Confessione. Medina Cod. de Confessione. quaest. 39. Consentiant enim Caietanus tomò primo. Opuscul. tractat. 7. & Nauarrus in Summa, cap. 27. num. 259. & in cap. Placuit, de Poenitent. dist. 6. in principio, numeri 48. & 53. & Angelus verb. Confessio, num. 4. & Syluest. verb. Confessor. 1. quaest. 1. & 2. & Antoninus 2. part. titulo 17. capite quarto casu tertio. Sumiturque ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii, clarius ex Tridentino sess. decima quarta capitulo septimo dicente, nullius momenti esse absolutionem a sacerdote datam, qui neque ordinariam, neque delegatam iurisdictionem habet. In quibus verbis Concilium vnum supponit, scilicet posse aliquos sacerdotes carere omni iurisdictione in hoc foro, & aliud docet, scilicet, absolutionem ab eis datam nullius momenti esse, & consequenter esse per se nullam ex impotentia absolventis, nam si ex hoc capite, ac per se posset esse valida circa poenitentem recte dispositum, non posset talis absolutio per se dici nullius momenti. Atque hanc dicit Concilium esse Apostolicam traditionem; quae confirmari potest ex Damaso Papa in Epistola quarta Decretali, & ex Concilio Hispanensi 2. capite septimo dicentibus, presbyterum non posse reconciliare poenitentem sine licentia Episcopi: & loquuntur clare de reconciliatione sacramentali. Et hoc ipsum confirmat capitulum, Omnis vtriusque sexus, dicens, alienum sacerdotem sine licentia proprii non posse soluere, vel ligare. Idem sumitur ex capitulo, Si Episcopus, de Poenit. & remission. in sexto, vbi dicitur, nulla consuetudine posse praescribi, ut aliquis sibi confessionem delegat sine licentia sui Praelati: nam si quilibet sacerdos ex vi iuris diuini esset sufficiens minister hu-

ius sacramenti, & prohibitio Ecclesiae solum faceret illicitam huiusmodi electionem confessoris sine licentia Praelati, consuetudo posset contra illam prohibitionem praualere: nam potest legem humanam reuocare.

Ratio a priori huius veritatis est, quam Concilia tetigerunt, quia de essentia huius sacramenti, & de necessitate ex parte ministri est, ut habeat iurisdictionem: sed non omnis sacerdos habet iurisdictionem: ergo non omnis sacerdos est sufficiens minister. Maior patet, quia hoc sacramentum essentialiter est iudicium: ergo minister eius necessario requirit omnia, quae sunt de ratione veri iudicis: de ratione autem iudicis est ut habeat iurisdictionem. Quia nemo potest sententiam ferre, seu ius dicere in non subditum, ut Concilium Tridentinum dixit: nemo etiam potest ligare, aut poenam imponere ad vindicandum delictum, nisi qui iurisdictionem habet: vtrumque autem facit minister in hoc sacramento. Maior vero supponitur tanquam clara in dictis Conciliis, & ex illa partitione iurisdictionis, quam insinuant, probationem eius indicant. Partitio est, quia omnis iurisdicatio, aut ordinaria est, aut delegata: quae in materia de iudicis per se satis nota est, & in sequenti libro de censuris a nobis fusius tractabitur. Nunc breuiter exponitur: nam iurisdictione ordinariam dicitur habere is, qui ex vi proprii muneris & officii est superior alteri, & in praesenti materia dicuntur illam habere, qui ex officio sunt Pastores animarum, qui propterea etiam possunt hanc iurisdictionem ad alios committere. Vnde illi dicuntur habere hanc iurisdictionem delegatam, qui solum habent illam ex commissione, ac propterea per se non possunt eam aliis subdelegare. Est ergo illa partitio adaequata, cum membra eius immediatam oppositionem, seu contradictionem includant. Atque hinc facile probatur maior propositio, quia manifestum est non omnes sacerdotes ita esse animarum pastores, ut ex officio iurisdictionem ordinariam habeant. Notum est etiam, non omnes sacerdotes, qui pastores non sunt, habere iurisdictionem ab ipsis Pastoribus commissam. Quae omnia latius confirmari possunt ex dictis supra de potestate iurisdictionis. Est autem hic aduertendum, propter opiniones ibi tractatas, quod licet Catholici Doctores inter se disputent, an sacerdotes habeant iurisdictionem a Christo, vel ab Ecclesia, omnes tamen, & excepto Armacano, in hoc conveniunt, quod non omnes sacerdotes possunt valide ministrare hoc sacramentum, & consequenter quod deest aliquibus iurisdictione, vel aliquid eius complementum, quidquid illud sit: quod ad praesentem quaestionem satis est, alia vero controuersia satis ibi disputata est.

Vnde ex hac resolutione colligitur, valorem huius sacramenti ex parte ministri pendere ex aliqua concessione, vel prohibitione Ecclesiae: quod est singulare huic sacramento inter caetera. Nam in aliis quantumvis Ecclesia remoueat ministrum a sacramento alicuius sacramenti, nihilominus sacramentum ab illo datum validum est, licet ille peccet ministrando, quia nulla conditio sublatam fuit necessaria ad sacramentum, licet vsus fuerit prohibitus: in hoc autem sacramento, si Ecclesia non concedat, vel auferat iurisdictionem, & hoc modo prohibeat ministerium, non solum peccat sacerdos, qui tentat absolvere: sed etiam nihil facit, ut aperte docuit Concilium Tridentinum. Et ratio est, quia illa non est tantum prohibitio, sed etiam ablatio alicuius conditionis, seu potestatis necessariae in ministro ad valorem talis actus, quam potestatem nos diximus esse iurisdictionem, quia haec reuera est moralis potestas necessaria, & quae per homines dari vel auferri potest, & quidquid aliud fingitur, aut sine fundamento est, aut reuera non est aliud, sed idem;

D. Tho. Palud. Capreol. Gabr. Sot. Maior. Soto. Richard. Soto. Ledesma. Cano. Pet. Sot. Medin. Cinc. Nauarr. Angel. Syluest. D. Anton. Conc. Florent. Conc. Trident.

Damas. Conc. Hispan.

Ratio vera ratio a priori.

Con. Trien.

Iurisdictione ordinaria.

Iurisdictione delegata.

Aduertendum primo.

Corollar.

alio nomine, præter commune vsum Ecclesiæ, & Conciliorum, nominatum, vt in citata disputatio-
ne satis declaratum, & probatum est. Neque hinc sequitur Ecclesiam mutare aliquid substantiale in ministerio huius sacramenti: quia requisita ad valore huius sacramenti ex institutione Christi semper eadem sunt, & illis cõcurrentibus, non potest Ecclesia impedire quominus sacramentum validum sit, neque etiam quod sine illis fiat, potest tamen facere, vt hic homo habeat; vel non habeat omnia necessaria ex institutione Christi ad conficiendum hoc sacramentum. Nam vnum ex his requisitis, est, quod iurisdictionem, & subditum habeat, quod pendet ex concessione, vel ablatione Ecclesiæ, de qua dixi plura in superiori tomo, tractando de sacramentis in genere.

Ultimo aduertendum est, assertionem positam limitatam à nobis fuisse ad materiam necessariam, huius sacramenti, quæ est peccatum mortale nõquam confessum, & per se loquendo. Et hoc posterius additum est ad excludendum casum extremæ necessitatis, in quo quilibet sacerdos potest esse minister modo infra explicando. Illud vero prius positum est propter peccata venialia, vel mortalia iam semel rite confessa: nam ab vtrisque potest absolueri quilibet sacerdos, præsertim ab Ecclesiâ toleratus, si de illis solis fiat confessio. In quo tamen aduertendum est, duabus de causis posse intelligi, quemlibet sacerdotem esse sufficientem ministrum in confessione, quæ sit de solis venialibus peccatis. Prima est, quia ad absolvendum in tali causa non requiritur propria iurisdictione, sed sufficit voluntaria subiectio penitentis. Secunda est, quia, licet requiratur iurisdictione, omnes sacerdotes illam habent. Priorem causam videtur approbare Caietanus Tomo 1. Opusc. tract. 7. quod ipse nulla ratione probat: & aliunde repugnat definitioni Conciliorum Lateranens. & Florenti. & præcipue Tridentini, quod minister huius sacramenti debet habere iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, alioqui nullius momenti erit absolutio eius. Quæ definitio generalis est, sine vlla exceptione: ergo verum habet in omni confessione, in quacunque necessitate, & ex quacunque materia fiat. Ratio etiã supra facta generaliter hoc conuincit: nam etiam confessio fiat de solis venialibus, sacramentum hoc perfici debet per modum veri iudicii: ergo etiam in illo est necessaria simpliciter iurisdictione, quæ non est tantum conditio requisita ex parte materię, vt Caietanus ait, sed etiam ex parte ipsius ministri, non minus in hac confessione, quam in aliis, quia nulla assignatur differentia ratio, nec Concilia in hoc aliter loquuntur, nec minus peccata venialia remittuntur & iudicantur potestate diuina, seu manante ex Christi institutione, quam cætera. Imo talis iurisdictione non vtrunque est conditio necessaria, sed etiam dici potest principium per se mortale talis actionis: nam, licet absolutio, vt est actus efficaciter sanctificans hominem, sit per se à potestate ordinis, tamen vt est iuridica prolatio sententię, est per se à potestate iurisdictionis: & quia non potest rite exerceri, nisi vtramque habeat, ideo necesse est vt ab vtraque potestate procedat. Est ergo hoc in vniuersum verum, & sine vlla exceptione: quod existimo certum ex prædicta Conciliorum doctrina, & ratione. Exceptio ergo, & limitatio in regula, posita est propter aliam rationem, scilicet, quia circa venialia peccata omnibus data est iurisdictione, & idem est circa mortalia in extrema necessitate: vnde autem sit talis iurisdictione, & quomodo constet, suo loco videbimus.

(:)

DISPUTATIO XXV.

De Ministro huius sacramenti ex ordinaria potestate.

Ministri huius sacramenti, quantum spectat ad potestatem ordinis, æquales sunt: nam, licet possit ab Episcopis ministrari, illa excellentior potestas Episcopi per accidens est ad hoc ministerium: vnde modus etiam recipiendi hanc potestatem idem est in omnibus sacerdotibus. & ideo de hac potestate nihil superest in hac materia dicendum, sed reliqua pertinent ad materiam de ordine. Potestas autem iurisdictionis quia regulariter ab homine manat, & non datur per aliquid intrinsecum, sed per extrinsecam concessionem, & augeri potest, & minui & variis modis concedi, quos oportet declarare. Supponendi autem sunt illi duo modi insinuat in Concilio supra citatis, habendi, scilicet, hanc iurisdictionem vel ordinariam, vel delegatam, de quibus quomodo differant, iam satis dictum est, de vtroque ergo in particulari est dicendum. Et in hac disputatione dicemus de ministro ordinario, & consequenter de proprio sacerdote singulorum fidelium: in sequenti vero de ministris delegatis.

SECTIO I.

Qui sint ministri ordinarii huius sacramenti respectu omnium, & singulorum fidelium.

Tres sunt ordines in Ecclesia horum ministrorum, ad quos omnes alii reducuntur, quinumerari solent. In primo & supremo ordine est solus Summus Pontifex, qui habet iurisdictionem hanc ordinariam & eminentiorem omnibus aliis: primo in hoc, quod habet illam immediatè à Christo Domino: nam, licet eligatur ab hominibus, tamen neque ipsi, nec vniuersa Ecclesia dat illis iurisdictionem, sed ipsi designant personam, & Christus immediatè munus confert, de quo alibi disputandum est, & videri potest Nicolaus Papa in cap. In nomine Domini. d. 23. Secundo in hoc, quod habet hanc iurisdictionem independentem ab alio, quin potius omnia alia pendet ab ipso. Tercio quod habet illam vniuersalissimam quoad loca, personas, & culpas, & quoad modum vtendi illa, vel per se immediatè, vel per alios, seu concedendo eam aliis, prout voluerit, vel oportuerit. Quæ omnia fundantur in verbo Christi, Ioan. 21. *Pascite oves meas*: & videri possunt cap. vi. & pen. 9. q. 3. & c. *Cuncta per modum*, de maioribus & obedi. & D. Thom. Opusc. 1. cap. 32. & Opusc. 19. c. 4. & alia quæ tractari solent 2. 2. q. 1. articulo 10. Et ad hunc ordinem reducuntur Summus Penitentiarius Pontificis, Legatus à latere, & si qui alii excellentiori modo illam participant.

In secundo ordine sunt Episcopi, de quibus dubitari solet: an habeant iurisdictionem hanc humanam, vel diuinam. Quæ quæstio præcipue tractari solet de iurisdictione Ecclesiastica pertinet ad forum contentiosum, sed est eadem ratio vtriusque, & ideo in materia de Censuris, Deo dante, tractabitur. Nunc breuiter attingam opiniones, & auctores, & quid à nobis tenendum sit quantum necessarium est ad ea, quæ postea dicemus de casuum reservatione. Quidam ergo simpliciter dicunt, Episcopos habere iurisdictionem iure diuino. Maior in quarto distinctione 17. quæst. 7. insinuat Soto in 4. distinctione 18. quæst. 4. articulo 2. expressius d. 21. art. 4. & disp. 24. quæst. 2. art. 2. & li. 1. de Iustitia quæst. 1. art. 4. Petrus Soto lect. 5. de Confessione. Victor Resch. 2. de Potestate Ecclesiæ, quæst. 2. Castro lib. 2. de Iustitia h. c.